Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2223
Quelle:
Copyright:

probat ab illo ibidem habitus in *Job.* 10. *Bonus Paſtor* &c. qui in Edit. *col.* 542. praecedit. En quantum *Gerſonianorum* cum hoc, tum tot aliis Codicibus a me relatis vel *Vindobonae* reperiſſent Editores *Amſtelodamenſes.*

DCCCCXXXV.

U. 218 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 479. 4. una per totum manu ſcriptus, et rubricis diſtinctus in anteriore Theca haec praefert: *Anno domini 48. propter Deum cum conſilio magiſtri Vrbani plebani in Stain*, quae verba cum etiam *Commentarius in Eccleſiaſticum* a M. *Paulo de Mellico* Collegio Ducali *Vien.* legatus et hoc *Vol.* recenſitus praeferat, dubium non eſt, praeſentem quoque Codicem ejus donum eſſe. Continet vero ille *Sermones in Concilio Conſtantienſi* habitos. Indicavit ejusmodi Συλλογην e *Cod. Krafftiano Sermonum* XLI. inclitus *Schelhornius Amoenit. lit.* T. III. alteram e *Cod. Blavifontano Sermonum* XXVIII. T. XI. Nos *Vol. I. P.* 3. inter *Synodicos* ſimilem dedimus *Sermonum* XXXI. Aſt hic, quem volvimus, praegnantior ad numerum LVII. praeter Fragmenta quaedam adſcendit. Eorum porro, vocatis in conſilium praedictis Codicibus, ſeriem dabo, illis obiter perſtrictis, de quibus jam *Codice cit.* egi.

Praevio Indice Thematum textualium *fol.* 2. *Sermo M. Petri de Pulka. Hij ſunt viri miſericordie* &c.

Fol. 18. *Sermo M. Stephani* (Palecz) *de Praga ſacre theologie profeſſoris. Reſiſtite fortes in fide* &c.

Fol. 31. p. 2. *Sermo M. Mauricii de Praga ſacre theologie profeſſoris.* Dom. VII. poſt Pentec. *Attendite a falſis prophetis* &c.

Fol. 42. p. 2. Ejusdem *Sermo.* Dom. 15. *Hec vidua erat* &c.

Fol. 49. p. 2. *Sermo pulcher predicatus in Concilio Conſtant. anno domini* MCCCCXVI. *Fratres libenter ſuffertis inſipientes* &c. Excerptum e *Cod. Krafft.* dedit *Schelhornius* p. 50. Ibi Autor praeſcribitur *M. H. V.* de quo nil divino.

Fol. 61. *Sermo bonus de aſſumptione beate virginis pronuntiatus in conſtantia. Maria optimam partem elegit* &c. Incipit: *Beatus Bernardus in quodam ſermone de hac feſtinitate dicit: Fateor impericiam meam* &c. et totus in Virginis laude abſumitur.

Fol. 71. p. 2. *Sermo factus in ſynodo Conſtan. die XV. ſeptembr. Obſecro vos, ſitis in caritate radicati* &c. Habetur in *Cod. Blavifont.* pariter ἀδεσποτος.

Fol. 79. p. 2. Sine inſcriptione: *Ite et vos in vineam meam* &c. Eſt *Theodorici de Monaſterio.* Ad calcem: *predicatus in concilio conſtan. in LXX.*

Fol. 89. Sine inſcriptione: *Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur* &c. Incipit: *Symon de Caſſia lib. VI. poſt medium de vita chriſtiana exponens predictum paſſum ſic inquit: Exaltacio a ſe ipſo ad caſum fit* &c. et enumeratis Superbiae